

6 In Epist. ad Romanos.

dicunt Philosophiæ, sed Apostolico textui. Nam si manifestum est, demonstratum esse oportet. DEVS ENIM ILLIS MANIFESTAVIT. Non dicit *reuelavit*, ne lumen gratiæ immisceat: sed dicit *manifestavit*, ut diuinum concursum mediante lumine naturali (quod Dei donum est) significet.

Verf. 20. INVISIBILIA ENIM IPSIVS. Subiungit modum quo Deus illis manifestavit. Et est modus naturalis intelligentiæ ex effectu. *Inuisibilia*, hoc est, *Inuisibilia* inuisibiles conditiones ipsius Dei. Et dicit *inuisibilia* pluraliter, quæ prius dixerat *quod notum est Dei*, & nunquam dixit *Deus*: quia quemadmodum ex eo quod res illa simplicissima quæ Deus est, non nota est nobis sua illa vnica, & simplicissima ratione, sed multiplicatis conditionibus (puta quod est actus purus, quod est immutabilis, quod est æternus, & similia) dicit pluraliter *inuisibilia Dei*, ita ex eo quod collecta vniuersa notitia quam de Deo habemus, non cognoscimus Deum, hoc est illam rem simplicissimam ut in se est, sed tanquam habentem aliquid quod de illo cognoscimus, dixit *quod notum est Dei*. Humanus siquidem intellectus rem simplicissimam natus est cognoscere distinctis rationibus, & per modum rerum compositarum.

A CREATURA MVNDI. Ecce declarat respectu cuius dixit *inuisibilia*. Nulla enim diuina cõditio est inuisibilis omnino: quoniã omnes sunt visibiles Deo, sed conditiones Dei sunt inuisibiles creaturæ mundi, non alicui, sed cuiuslibet. Nullus enim intellectus creatus tantæ est facultatis naturalis, ut possit videre Deum. Et propterea conditiones Dei dicuntur inuisibiles à creatura mundi.

Alia constructio. Potest tamen hic textus aliter punctari: ut hoc quod dicitur *a creatura mundi*, non referatur ad *inuisibilia Dei*, sed referatur ad verbum *conspiciuntur*: ut sit sensus; *conspiciuntur à creatura mundi*. Et sic creatura mundi intelligitur limitari per id quod subiungitur, scilicet *intellecta*. Est enim sensus: per ea quæ facta sunt intellecta à creatura mundi: ut non oporteat vagari per omnem mundi creaturam, sed eam tantum cuius est intelligere. Et comprehendit non solos homines, sed omnes creaturas habentes intellectum. De omnibus siquidem verum est quod hîc dicitur. Et sic restat infinite dictum *inuisibilia Dei*: quia in rei veritate sunt in seipsis inuisibilia naturali facultate cuiuscumque intellectus creati.

Scito tamen cum his quod dictio Græca anceps est ad *creaturam*, vel *creationem*. Et propterea aliqui interpretes legunt *a creatione mundi*, Magis tamen quadrare videtur legere *a creatura mundi*: ex eo quod subditur. PER EA QUÆ FACTA SVNT. In quibus comprehenditur creatio mundi. Ecce modus quo diuina conspici ab aliis possunt, scilicet *per ea quæ facta sunt*. Apertè per hoc dicens, quod inuisibilia Dei, quæ in seipsis videri non possunt, ab aliis possunt conspici per ea quæ facta sunt, quæ sunt effecta à Deo: ut causa conspicitur per effectus proprios. INTELL. CTA. Dicitio Græca præsentis est temporis, non præteriti: sed nos caremus participio passiuo præsentis temporis. Declarat modum quo per ea quæ facta sunt conspiciuntur diuina. Modus est per ea quæ facta sunt intellecta in præsentis, non

sensata, non imaginata, non superficie tenuis cognita, sed penetrata intellectu. Et est simile cum quis videtur per speculum quod videtur. Deus enim relucet in effectis ab eo, velut in speculis. Et quemadmodum requiritur ad videndum relucens in speculo, intuitus speculi: ita ad conspiciendum Deum per ea quæ facta sunt; requiritur intellectio factorum à Deo. Et propriè loquitur vtendo præpositione *per*, dicendo *per ea quæ facta sunt intellecta*: quoniam propriè loquendo Deus non conspicitur in creaturis factis, quemadmodum res conspicitur in speculo: sed per ipsa effecta cum intelliguntur, ascendimus ad conspiciendum conditiones ipsius Dei: puta quod est æternus, quod est actus purus, &c. Vnde magis simile exemplum est, cum ex diligentius perfectis artificiatibus conspiciamus artem quæ effecta sunt: & qui per spicacius artificiatibus percipit, melius & plus artis quæ effectit, conspicit.

CONSPICIUNTUR QUÆ prius dixit *inuisibilia*, modò dicit conspici *per ea quæ facta sunt intellecta*, ut intelligamus hinc duos modos manifestè cognoscendi: Alterum per modum visionis, seu intuitus rei in seipsa; Et penes hunc dixit *inuisibilia*. Alterum per modum clarè quidem, sed tamen in alio videndi: sicut videmus res in speculo, sicut conspiciamus artem, videndo effecta ab arte. Et penes hunc modum dicit *conspiciuntur*.

Si quæris quomodo Angeli & reliquæ superiores nobis Intelligentiæ conspiciunt Deum *per ea quæ facta sunt intellecta*. In promptu est responsio, quod intuendo seipsas factas à Deo Intelligentiæ conspiciunt Deum: loquendo de naturali cognitione, de qua est sermo.

SEMPITERNA QUOQUE PRO QUE, EIVS VIRTUS ET DIVINITAS. Non sufficit Paulo dixisse in genere quod inuisibilia Dei conspiciuntur, sed explicauit in specie tria, scilicet *sempiternitatem, potentiam, & diuinitatem*. Et denominauit tam potentiam quam diuinitatem sempiternam ad differentiam nouorum Deorum, aut cuiuscumque nouæ potentia. Quamuis formalius adiectiuum *sempiterna* intelligatur determinare solam potentiam, ut explicentur tria de Deo nota. Primum in genere, inuisibilia Dei, scilicet quod est incorporeus, immaterialis, vnus, viuens, intelligens, beatus in seipso. Deinde in specie potentia eius sempiterna quatenus potestas: utpote & quæ nunquam exhauritur faciendo, & quæ potest sempiternum facere effectum. Et deum esse potentia eius, dicendo: *& diuinitas*. Quam ideo vltimò supputat, quia ex aliis conditionibus & potentia sempiterna nobis nota est. Manifestè quidem quantum ad hoc quod est, & quantum ad multas conditiones negatiuas & positiuas. Ex quibus tamen omnibus simul iunctis nescitur quid est, propriè loquendo, Nec mirum: quia soli Deo naturale est nosse quid est Deus. Quoniam ipsi naturali est videre Deum in seipso: Angelis enim & nobis non nisi per effecta conspiciere Deum datum est naturali facultate.

Et distinxit inter potentiam Dei & diuinitatem: non quod duæ res sint Dei potentia, & Dei diuinitas, sed propter superioris dictam rationem: quia scilicet multiplicatis

Quomodo per creaturas conspiciuntur inuisibilia Dei.

Duplex modus cognitiuis.

Tria inuisibilia Dei declarat D. Paulus.